

benedictae praestat, ut patronus ritu peculiari aspergatur: vetitum est tamen cuique vel Sacerdoti, vel Laico patrono aspergillum porrigere, quo se ipsum aspergat, excepto solo Episcopo. Denique honor sepulturae eo spectat, ut in Ecclesiae honorificentiori loco patronorum cadavera humentur. Inter jura honorifica recensetur etiam jus stemmatis gentilitii in Ecclesia patronata affigendi. Generatim vero de juribus honorificis tenendum est quod tradit Franciscus de Roye lib. 2 cap. 5 de Jurepatronatus his verbis: « In officiis et honoribus exhibendis non modo videndum est quid lege sancitum, sed quid consuetudine valeat: modo tamen non ejusmodi consuetudine jura inducantur, quae vel Ecclesiae decori opponantur, vel rectam divinorum officiorum administrationem turbent, quae licet longaevo usu inducta, adhuc tamen poterunt legitima auctoritate aboleri. »

Utilia patronorum jura duo sunt. Primum est, quod patronus possit in ipsa fundatione sibi, successoribus suis, aut etiam extraneo annuam pensionem, vel censum, vel etiam fructus Ecclesiae vacantis reservare. Alterum est, quod patronus ad inopiam vergens, quin et ejus uxor, ac filii egentes ab Ecclesia patronata alendi sint, etsi ea de re fundator nihil sibi, suisque stipulatus sit. Alimenta autem debentur non jure praesentationis, sed jure fundationis, ex quo sequitur: 1. eadem alimenta praestanda esse patrono, etiamsi jus praesentandi vel dimiserit, vel alteri cesserit. Sequitur 2 eadem non omnibus patronis deberi, sed illis tantum, qui Ecclesiam fundarunt. Unde Lotterius de re beneficiaria lib. 2 cap. 5 recte animadvertit « legitimandam esse personam ipsius petentis, videlicet quod descendat a fundatore: neque enim sufficit ostendere se esse patronum, cum potuerit acquirere juspatronatus jure haereditario, vel alio simili, textus vero in can. QUICUMQUE CAUS. 16, quaest. 7 suffragium istud promittat descendentibus a fundatore, neque ejus ratio ad alios porrigatur. »

orro alimenta praestanda sunt pro conditione patronorum, et Ecclesiae facultatibus, eorumque taxatio in arbitrio judicis posita est. « Pro instruendo autem processu circa merita, prosequitur Lotterius cit. loco, praeter justificationem patronatus ex legitimitate personae, ut supra dictum est, duo sunt necessario probanda, quorum primum est supereffluentia reddituum in Ecclesia detractis expensis necessariis cultui divino; alterum vero est inopia ex parte petentis. »

Demum patronis incumbunt jura onerosa, scilicet jus inspectionis et defensionis. Quippe patronorum est inspicere, num leges fundationis observentur, bona fideliter administrantur et custodiantur, ut, si qua culpa est, ad Episcopum deferant, Ecclesiam ipsam ejusdemque jura defendere ac tueri, ne a potentioribus opprimatur. At patronis non licet sub inspectionis et defensionis praetextu administrationem reddituum, quae ad beneficiorum Rectores spectat, nec Ecclesiae visitationem, Clericorum institutionem vel destitutionem quae Episcopi sunt, usurpare, nec contributionem, onus, servitutem aut gravamen imponere, nec demum iis se ingerere quae ad Sacramentorum administrationem, et divinorum officiorum celebrationem pertinent.

§ 406.

DE AMISSIONE JURISPATRONATUS.

Juspatronatus legitime quaesitum pluribus modis amitti potest. Et primo quidem ex delicto, seu in poenam admittitur juspatronatus, si patronus Ecclesiae Rectorem, aut alium ejusdem Clericum occiderit, vel mutilaverit, si in haeresim, schisma, aut apostasiam inciderit, si patronatum seorsim vendiderit, aut aliam illicitam, vel simoniacam in alios translationem de facto attentaverit, si demum fructus Ecclesiae patronatae in proprios usus converterit, vel ejus bona usurpa-

verit. Notandum tamen est, delictum patroni obesse ipsi tantum et haeredibus ac successoribus, qui ab ipso causam habituri sunt, non autem compatronis innocentibus, nec aliis successoribus, qui independenter et jure proprio in patronatum succedunt.

Sine delicto autem patronatus amittitur : 1. Totali destructione Ecclesiae, vel interitu dotis : quo tamen casu patronatus reviviscit, si patronus iterum aedificaret, vel dotaret : 2. Morte ejus cui soli donatum fuerat, aut exstincta gente vel familia, pro qua tantum fuerat institutum et reservatum. 3. Voluntaria cessione expressa vel tacita, ut si patronus patiatur Ecclesiam patronatam converti, seu erigi in Collegiatum vel Conventualem, vel alteri Ecclesiae aut Monasterio subjective uniri : 4. Demum non usu quadraginta annorum, dum scilicet patronus legitimo cessante impedimento nullum Rectorem ad vacantem Ecclesiam praesentavit, et interea Ordinarius pleno jure, et saltem duabus vicibus eandem Ecclesiam contulit, cum jura omnia ac privilegia alteri onerosa per non usum, aut usum contrarium exspirent; quod facilius pro Ecclesiarum libertate admittendum est.

§ 107.

DE COMMENDIS BENEFICIORUM.

Commenda a verbo *commendare* dicta est, quod significat fidei, curaeque tradere, committere, in custodiam dare. Hac sane ratione antiquissimus in Ecclesia est Commendarum usus, quandoquidem priscis temporibus ipsae Cathedrales Ecclesiae commendabantur, ut scilicet esset qui Dioecesis curam gereret, quoad novus Episcopus eligeretur : interdum etiam Episcopis ob irruptionem hostium a propria Sede fugatis, Ecclesiae aliis in commendam dabantur, ut eas administrarent et ipsarum redditibus alerentur. Monasteria quoque

saepe commendata sunt Episcopis, aliisque Clericis, ut ad Monasticam disciplinam restituendam diligenter incumberent. Itaque Commendae pro Ecclesiae utilitate primum inductae sunt, nec erant perpetuae, quod Commendatarius non titulum Beneficii, sed custodiam duntaxat haberet. Hodie Commendis aliter utimur; neque enim ad tempus, sed instar Beneficii ad vitam Commendatarii tribuuntur cum jure percipiendi fructus, et spiritualem jurisdictionem administrandi; idque praecipue fit : 1. Cum plura saecularia, eaque incompatibilia beneficia in unam eandemque personam conferuntur, unum videlicet in titulum, et aliud in perpetuam administrationem seu Commendam, ut duo Episcopatus, duae Paroeciae. 2. Quum beneficia regularia Clericis saecularibus, ex. gr. Abbatiae et Prioratus Conventuales Cardinalibus, aliisque Clericis non Regularibus tribuuntur. Quamobrem Commenda perpetua tunc praesertim datur, cum aliquid obstat, quominus Ecclesia vel Beneficium in titulum conferatur.

Varia fuerunt fata Commendarum. Clemens V, Extravag. 2 de Praebend. inter comm., Commendas omnes per ipsum concessas rescidit, quod compertum haberet, easdem non in commodum et utilitatem, sed potius in jacturam Ecclesiarum vergere. Mox Joannes XII Ecclesias et Monasteria indiscriminatim commendavit. Concilium autem Lateranense V vetuit Monasteria nunquam commendata in posterum commendari : quae vero commendata aliquando fuissent, nisi Cardinalibus aliisque personis de Ecclesia bene meritis, non commendari, et Mensam Commendatarii a Conventuali separandam omnino jussit. At vero Tridentini Patres maxime optaverunt, ut Monasteria etiam commendata, et deinceps vacatura, quae suos Conventus habent, et praesertim quae capita sunt Ordinum, Clericis saecularibus in Commendam non traderentur. Monasteria vero destituta Monachis a Tridentinis Patribus silentio praetermissa sunt, ut significaretur,

eadem commendanda et providenda Apostolicae Sedis arbitrio et prudentiae relinqui. Itaque Romani Pontifices Ecclesias et Monasteria in Commendas aut temporaneas, aut perpetuas concedere solent, quoties earum usus necessarius, aut saltem proficiuus videatur. Episcopi autem ne ad tempus quidem commendare Ecclesias possunt, quod uni Pontifici facultas est sacris disciplinae Canonibus derogandi, quin etiam temporanea ad sex menses Ecclesiarum Parochialium commendatio, quae jure cap. 15 de Elect. in 6 aliorumque antiquiorum Canonum Episcopis tribuebatur, per cap. 4 sess. 7 de Reform. a Concilio Trid. sublata est, dum constituit in vacantibus Ecclesiis Parochialibus non Commendatarios, sed Vicarios seu Oeconomos deputandos esse, quoad novus Rector instituitur.

§ 108.

DE JURIBUS ET ONERIBUS COMMENDATARIUM.

Hodierni Commendatarii veris Titularibus aequiparatur, ut proinde pene omnibus Regularium Abbatum tum utilibus, tum honorificis juribus gaudent. Et quod pertinet ad jura utilia haec verborum forma in litteris Apostolicis adhiberi solet, ut nimirum Commendatarius « de fructibus, redditibus, et proventibus ipsius Monasterii disponere et ordinare valeat, sicut veri Abbates et Priores : alienatione tamen honorum immobilium et pretiosorum mobilium penitus interdicta. » Si tamen in Monasterio religiosa familia extiterit, et ejusdem Mensa a Mensa Abbatis sejuncta non sit, in ipsis litteris Apostolicis adjicitur clausula « quod propter hujusmodi Commendam divinus cultus, ac solitus Monachorum et Ministrorum numerus in dicto Monasterio nullatenus minuatur : » adeoque danda est tertia pars omnium fructuum Monasterii commendati pro omnibus « illis oneribus supportandis et sustentatione Monachorum, » ex Constit. SUPERNAE Leonis X, Jura

honorifica Commendatarii Gregorius XIII, ad interrogata Concilii Rothomagensis an. 1581, ita complexus est, « Commendatarios inter Abbates esse in Synodo recipiendos : Abbates benedictos, et qui usum mitrae habeant, praecedere debere Commendatarios : neutros vocem definitivam, sed consultativam tantum habere. » Primam etiam sedem in Ecclesiis commendatis Commendatarii occupant. At vero praeter utilitatem et honorem, spiritualem etiam jurisdictionem administrant. Hinc si Monasterio commendato, ejusque Monachis privilegium concessum erat dimissoriales litteras ad Ordines tribuendi, eadem facultas in Commendatarium transit. Ubi vero Monasteria aut animarum curam, aut temporalem jurisdictionem adnexam habeant, videndum est an et quomodo in litteris Apostolicis Commendatario tradita sint. Tum vero Commendatarius si curam animarum habeat, et Sacros Ordines suscipere et residere debet. Caetera vero ipsius onera eadem ferme sunt atque Abbatum Titularium ; sed aliquando contingit ut aliquod Monasterium commendetur ob urgentem aliquam necessitatis vel utilitatis causam, ex. gr. ut aedificia reparentur, bona alienata recuperentur : tum enim conditiones et onera imposita diligenter observanda sunt.

§ 109.

DE PENSIONIBUS.

Pensio est certa pars reddituum alieni beneficii a legitimo Superiore alteri Clerico attributa, eisque a beneficiario praestanda. Igitur pensio imitatur naturam servitutis quae onus est in re aliena constitutum, eique adhaerens : ex quo fit ut morte beneficiarii non exstinguatur. Hujusmodi pensiones, quae reales dicuntur, imponendi potestas ad unum Pontificem devoluta est, quia in earum concessione Canones relaxari oportet, qui jubent ut beneficia sine diminutione conferantur.

Aliquando tamen pensio non imponitur beneficio ipsi, sed personae beneficiarii, unde ejus morte exstinguitur, neque in beneficii successorem transit. Hujus temporanae pensionis imponendae facultatem Episcopis esse plures Canonistae contendunt ob eam rationem, quod nulla fiat beneficii sectio seu dismembratio, quum personae, non beneficio ipsi imponatur. Causam autem in quacumque pensione constituenda justam et honestam subesse oportet, hoc est ob bonum pacis, veluti si duobus de beneficio contendentibus, uni beneficium, alteri pensio super eodem tribuatur ad litem dirimendam; vel ob aequitatem et compensationem quamdam, veluti quum resignanti beneficium in favorem, vel beneficium permutanti cum alio tenuiori pensio decernitur super ipso beneficio resignato vel commutato; vel demum ob insigne Clerici in Ecclesiam meritum, excellentem virtutem, summam doctrinae peritiam, senectutem, aegritudinem, vel aliam piam causam.

Quantitas autem pensionis moderata esse debet, ne beneficiarius congrua portione fraudetur, et praeterea tantum supersit quantum aliis beneficii oneribus sufficiat. Hinc ex decreto Concil. Trid. sess. 24 cap. 13 de Reform. pensionibus onerari nequeunt Ecclesiae Cathedrales, nisi earum reditus summam ducatorum mille, neque Ecclesiae Parochiales, nisi ipsarum reditus summam ducatorum centum superent, in qua summa fructus tantum annui et fixi computantur, non etiam distributiones quotidianae, nec reliqui fructus qui incerti sunt. Insuper pensio non in fructibus ipsis, sed in pecunia constituitur, ut evitentur discordiae, quae inter beneficiarium et pensionarium oriri possent.

Pensiones beneficia proprie sic dicta non censentur, quia propter sacrum ministerium constitui non solent, neque per eas titulus beneficii seu beneficium ipsum scinditur; tunc etenim non pensio, sed aliud beneficium diceretur. Quamvis vero pensio beneficium non sit, est tamen beneficii loco, vel saltem est pars fructuum ex bonis Ecclesiae decerpta. Qua-

propter ejus incapaces sunt laici, itemque irregulares, vel censura irretiti. Pensionarius autem debet tonsuram et habitum Clericalem gerere, ac officium B. M. V. quotidie recitare, illud omittens fructus non facit suos, perceptos que tenetur pro rata omissionum in usus pios erogare. Tenetur insuper oneribus beneficii una cum beneficiario pro rata subesse, nisi pensio libera, immunis et exempta constituta sit, nec dubitandum videtur teneri pensionarium Ecclesiae commodo, quo poterit modo, adlaborare, cum jus naturae dictet, et Apostolus II ad Thessal. cap. 3 doceat ut « si quis non vult operari, non manducet. »

Pensiones autem exstinguuntur morte pensionarii, nisi is privilegium Pontificis habeat, pensionem ipsam in alios transferendi, quod nonnullis personis pro certa et definita quantitate pensionis concedi solet. 2. Matrimonio vel professione religiosa. 3. Renuntiatione pensionis, quae quidem vim habet citra ullam Pontificis, aut alterius Superioris auctoritatem, quum tamen beneficio sine auctoritate Superioris nemo cedat: cujus discriminis ea ratio est, quod pensio in unam pensionarii utilitatem constituta est, ac proinde is libere valet juri suo renuntiare; beneficium vero collatum est in bonum Ecclesiae, unde ejus dimissio potest Ecclesiae ipsi nocere; atque insuper spirituale conjugium, quo inter Ecclesiam et Beneficiarium nexum est, sine Ecclesiae seu Praelati consensu non dirimitur. Attamen pensio remitti nequit, dum ejus titulo pensionarius ad sacros Ordines promotus est, nisi beneficium sufficiens consequutus fuerit, vel aliunde habeat, unde vitam decenter tueri possit. 4. Assequutione ipsius beneficii, vel interitu rei, cui pensio imposita erat. 5. Dimissione habitus Clericalis, de qua vide Constitutionem Sixti V CUM SACROSANCTUM diei 9 Januarii 1589, et alteram ipsius Pontificis Constitutionem PASTORALIS datam die 31 ejusdem mensis et anni. 6. Demum quibusdam criminibus, et aliquando ipso jure et facto, dum videlicet jus declarat pensionarium cri-

mine perpetrato confestim pensionem amittere, aliquando autem post sententiam; dum jus ipsum statuit delinquentem sua pensione privandum. Pensio autem citra simoniam redimi non potest repraesentata pecunia, factis videlicet quibusdam anticipatis pecuniarum solutionibus ad eam summam, quae inspectis quantitate pensionis, et aetate pensionarii, aut aliis circumstantiis inter beneficiarium et pensionarium constituta sit. Inest enim hujusmodi redemptionibus quoddam commercii genus, quod labem simoniacam redolet. De pactis abolendi et cessandi pensiones per solutiones hujusmodi anticipatas, deque venditione reddituum beneficiorum vel ad longum tempus prodiit duplex Constitutio Benedicti XIV quarum altera incipit IN SUBLIMI, altera vero UNIVERSALIS ECCLESIA edita quarto Kalendas Septembris anni 1744. Huc spectat Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium editum die 17 Martii 1840, videlicet: « Cum ad SSimum Dominum N. certo relatum fuerit complures ex iis qui pensiones ex Apostolicae Sedis benignitate super Ecclesiastica beneficia sunt adepti, pacisci statis conditionibus cum eo qui sibi certam pecuniae summam numeraverit, ut deinceps vel ad tempus, vel ad vitae ipsorum exitum libere easdem praestitutis temporibus a Beneficiario percipiat, cumque pactiones hujusmodi pro contrahentium arbitrato licentius conciliatae indecorum quoddam de iis commercium videantur inducere, quod fideli populo admirationi quandoque est, viamque sternant forensibus actionibus, quae non sine Ecclesiasticae rei dedecore publice instituuntur, atque illud praeterea ut plurimum inferant damni, et brevi insumantur quae in totius vitae commodum liberalitas Pontificum impertiverat; eadem Sanctitas Sua pro ea, qua praestat, impensissima sollicitudine ad haec aliaque id genus mala ex libero earum conventionum usu gliscentia praecavenda, de Apostolicae potestatis plenitudine districte mandavit, ne in posterum liceat memoratos contractus, quibus unica etiam, quam dicunt, commoditas

pensionis percipiendae in alium transferatur, quovis cessionis, translationis, alienationis titulo de pensionibus Ecclesiasticis conficere, nisi habito prius de ea re speciali Apostolico Beneplacito. Hoc porro Decretum per Cong. Negotiis et Consultation. EE. et RR. praepositam edi et in ejusdem notis servari, illudque executioni per eos ad quos spectat mandari jussit; contrariis quibuscumque non obstantibus. »

CAPUT IV.

DE ADMINISTRATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

§ 110.

DE JURE ECCLESIAE IN BONORUM ECCLESIASTICORUM
ADMINISTRATIONE.

Rerum Ecclesiasticarum administrationem ad Ecclesiam, hoc est ad Praelatos et Rectores Ecclesiarum pertinere duobus argumentis evincitur. In primis enim bonorum administratio ad eos pertinet, qui earundem rerum potiuntur pleno dominio, vel saltem utili. Plenum quippe dominium facultas est de re disponendi, adeoque pro libitu administrandi: dominium autem utile jus est rei fructus, et utilitates omnes ex re ipsa percipiendi, ac proinde eandem tenendi et curandi, quibus actibus administratio continetur. Quapropter in omni re primum et praecipuum est dominium plenum vel utile; administratio autem suapte natura consequitur, seu ut tritum est in jure axioma « accessorium sequitur principale. » Cum igitur in rebus Deo et Religioni dicatis dominium saltem utile ad personas ecclesiasticas pertineat, consequens est ipsarum quoque curam et administrationem ad easdem personas jure suo pertinere. Alterum argumentum ex perpetua Ecclesiae praxi